

quod nomino, unde agnoscerem, nisi meminissem? Non eundem sonum nominis dico, sed rem quam significat, quam si oblitus essem, quid ille valeret sonus, agnoscere utique non valerem. Ergo cum memoriam memini, per se ipsam sibi praesto est ipsa memoria; cum vero memini oblivionem, et memoria praesto est et oblivio, memoria qua meminerim, oblivio quam meminerim. Sed quid est oblivio nisi privatio memoriae? Quomodo ergo adest, ut eam meminerim, quando cum adest, meminisse non possum? At si quid meminimus, memoria retinemus; oblivionem autem nisi meminissemus, nequaquam possemus, audito isto nomine, rem quae illo significatur sono, agnoscere. Memoria retinetur oblivio. Adest ergo, ne obliviscamur, quae cum adest, obliviscimur. An ex hoc intelligitur, non per se ipsam inesse memoriae, cum eam meminimus, sed per imaginem suam, quia si per se ipsam praesto esset oblivio, non ut meminissemus, sed ut oblivisceremur efficeret? Et hoc quis tandem indagabit? Quis comprehendet quomodo sit? Ego certe, Domine, laboro hic, et laboro in me ipso: factus sum mihi terra difficultatis et sudoris nimii. Neque enim nunc scrutamur plagas coeli, aut siderum intervalla demetimur, vel terrae libramenta quaerimus; ego sum, qui memini, ego animus. Non ita mirum, si a me longe est, quidquid ego non sum. Quid autem propinquius me ipso mihi? Et ecce memoriae meae vis non comprehenditur a me, cum ipsum me non dicam praeter illam. Quid enim dicturus sum, quando mihi certum est meminisse me oblivionem? An dicturus sum non esse in memoria mea quod memini? An dicturus sum ad hoc inesse oblivionem in memoria mea, ut non obliviscar? Utrumque absurdissimum est. Quid illud tertium, quo pacto dicam imaginem oblivionis teneri memoria mea, non ipsam oblivionem, cum eam memini? Quo pacto et hoc dicam, quando quidem cum imprimitur rei cuiusque imago in memoria, prius necesse est, ut adsit res ipsa, unde illa imago